



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XCV. S. Pavlvv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

Prædictus Pontifex in quadam epistola de infirmitatis suæ liberatione ita inter cætera dicit. *Cum iam medici desperarent, fuit sicut in oratione in Ecclesia B. martyris Dionysii subtus campanas, & vidi ante altare domnum Petrum & Dominum Paulum, & nota mente illos recognoui, & tertium B. Dionysium ad dexteram B. Petri subtilem & longiorem. Dixitque Dominus Petrus. Hic frater noster postulat sanitatem. Et dixit B. Paulus. Modo sanabitur, & appropinquans misit manum suam ad pectus domni Dionysii amicabiliter, respexitq; ad Dominum Petrum. Et dixit Dominus Petrus ad Dionysium hilariter. Tua gratia est sanitas eius. Et Dionysius veniens ad me ait. Pax tecum frater, non morieris, donec ad sedem tuam prosperè reuertaris. Surge, & hoc altare in honore DEI & veneratione Apostolorum Petri & Pauli dedica: moxq; sanus factus impleui quæ iussa sunt.*

## XCV.

A.DCCLVII.

## S. PAVLVS.

**P**AVLVVS, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos 10. mensem 1. In huius autem electione populus Romanus diuisus est. Nam alii Theophylactum archidiaconum, alii hunc volebāt habere Pontificem. Sed pars illa, quæ maior ac validior fuit, tandem hunc elegit, & ita cæteris dispersis iste sedem obtinuit. Hic consecrauit Episcopos 20. presbyteros 12. diaconos 2.

## XCVI.

A.DCCLXVIII

## STEPHANVS IV.

**S**TEPHANVS, natione Siculus, ex patre Oliuio, sedit annos 5. menses 5. dies 27. Dum Paulus Papa ex hac vita migrasset continuo Constantinus quidam laicus à germanis fratribus, & illis, quos fratres quoquo modo attrahere potuerunt, latrocinio in Patriarchium est introductus. ibiq; repente vna die fit clericus, alia verò die subdiaconus & diaconus à Georgio Prænestino Episcopo consecratus est: & proximo Dominico die cum multitudine armorum ad Ecclesiam B. Petri properans à prædicto Georgio & aliis duobus Episcopis, Albanense videlicet & Portuense in Pontificem ordinatus est, & vnus anni & mensis spacio Romanam Ecclesiam hac inuasiōe detinuit: & infra hoc spacium Episcopos 8. presbyteros totidem, & diaconos 4. ordinauit. Sed prædictus Prænestinus Episcopus non multo post diuina ultione correptus est. nam dextera manus eius aruit, & contracta est, adeò vt ad os eam erigere